





F.5. num. 36.

10  
DISSERTATIO INAUGURALIS JVRIDICA  
DE  
**SUCCESSIONE**  
**FOEMINARVM**  
**IN FEVDIS,**

P. 229  
QVAM,  
DEO PRAESIDE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIP<sup>E</sup> AC DOMINO  
**D N. FRIDERICO,**  
HASSIAE LANDGRAVIO, &c. &c.  
EX DECRETO ET AVTHORITATE  
AMPLISSIMI JVRISCONSULTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBVRCENS<sup>I</sup>,

**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI,  
PUBLICO ET SOLENNI ACADEMIAE PROCERVM  
EXAMINI  
DIE XXIII. MENSIS DECEMBRIS cl<sup>o</sup> Is cc XXXII,  
SUBMITTIT

**FRANCISCVS ANTONIVS**  
**THEODORVS PAPE,**  
WARSTENA - WESTPHALVS.

MARBVRGI CATTORVM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.



SCHECHTER  
HOMINARIA  
IN FRAUEN

BY RICARDI CO

SCHECHTER HOMINARIA IN FRAUEN



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
SUCCESSIONE FEMINA-  
RUM IN FEUDIS.

§. L

Pud plerosque ferè populos majo-  
rem semper rationem fuisse habi-  
tam filiorum quam filiarum in  
successione hereditaria parentum,  
& in ea sexum sequiorem masculi-  
no postpositum esse, multis de-  
monstrare non opus est, quia hoc  
argumentum jadidum virorum præstantissimorum  
occupavit industriam; ex quibus, conferre, cui lubet,  
potest Jacob. Perizon, in Dissertatione pererudita de Le-  
ge Voconia. Nec absolum esse videtur, si dicamus,  
cum ortu generis humani in umerum hoc deductum esse,  
ut filii post contractas nuptias parte bonorum modi-  
cā contentæ & à reliqua hereditate exclusæ, copias ac  
possessiones omnes fratribus relinquenter. Saltē in

A

Repu-

Republica Hebraica filiæ, existentibus filiis, ab hereditate paterna repellebantur, ut videre est Genes. XXXI. v. 14. Numer. XXVII. v. 8. Jobi XLII. v. 15. & latè probat laudatus Perizon. de Lege Voconia P. 11. cui adstipulatur Jo. Seldemus de Successionibus ad Leges Hebreorum c. 1. & 8. ubi probat filias non fuisse admissas, etiam si filius præmortuus superstitem tantum filiam reliqueret.

§. II. A Legibus Hebreorum non dissentunt mores Græcorum, & in primis Atheniensium, quibus in more positum erat, bona relinquere filiis, filiabus vero conferre dotes, tria vestimenta ac parvi pretii instrumenta: neque hereditatem paternam consequendi ipsis spes affulgebat ulla, nisi vel fratre destituerentur, vel is morte sublatus non amplius appareret, quod accuratè satè illustravit laudatus Perizonius.

§. III. Romanos autem, quod maximè mirandum, Græcorum legum alias amantissimos, ab illorum more recessisse, nullamque filius præ filiabus hac parte prærogativam concessisse, clarissimis verbis innuit Imperator Justinianus in L. pen. Cod. de legitim. hered. dum ait: *Lege XII. Tabularum bene humano generi proficitum est, quæ unam consonantiam tam in mari- bus quam in fœminis legitimis & in eorum successionibus, nec non & in liberis observandam esse existimavit: nullo discrimine in successionibus habitu, cum natura utrumque corpus ediderit, ut maneat suis vicibus immor- tale, & alterum alterius auxilio egeat, & uno semoto & alterum corrumpatur. & in §. 3. Instit. de legit. Agnat. success. verbis: Et hæc quidem Lex XII. Tabula- rum nullo modo introduxit: sed simplicitatem legibus amicam*

amicam amplexa, simili modo omnes agnatos, sive masculos sive foeminas, cuiuscunque gradus, ad similitudinem suorum invicem ad successionem vocabat. Idipsum quoque, quod in XII. Tabulis nihil differentia ratione successionis inter masculos & foeminas reperiatur, *Paulus lib. IV. Sentent. tit. 8. §. 22.* luculento comprobatur testimonio.

§. IV. Eodem tamen non semper jure hic usos esse Romanos, itidem constat ex allegatis §. præced. textibus; Media namque Jurisprudentia, subtilitate quadam excogitatâ, ut loquitur Imperator *in alleg. §. Insit.* aliam inducebat differentiam, quâ filia quidem sua ad similitudinem masculæ sobolis in parentis successionem vocabatur, atque soli sorori jure consanguinitatis ad agnitorum successionem patebat aditus; deinceps autem foemina à successione agnitorum penitus repellebantur, licet masculi ad earum hereditates, longissimo quamvis essent gradu, admittentur, quem quidem, ut videbatur, juris rigorem mitigare voluerunt Prætores, dando nimirum foemini bonorum possessionem, *unde cognati* vocatam, non tamen sufficiens huic causæ attulerunt remedium, donec Justinianus delatis ipsi imperii fascibus in *alleg. L. p. C. de legit. her. omnibus foemini* per virilem sexum decendentibus eadem, queis alias sola gaudebant filiæ ac sores, successionis jura secundum gradus prærogativam tribueret; Idem tandem Imperator *in Nov. 118.* omnem agnitorum sustulit prærogativam, cognatosque in successione ab intestato agnatis penitus æquiparavit.

§. V. Toto cœlo à Romanorum placitis iterum  
A 2

¶ 4 ¶

zum differunt leges atque consuetudines nostræ Germania. Jure enim Germanorum antiquo ante receptum Jus Justinianum filias tam à Patris quam Matris hereditate, filio superflite, fuisse exclusas, non obscurè probant antiquæ Germanorum leges, Speculum nempe Saxonicum lib. 1. art. 17. his verbis: Vatters und mutters / schwester oder bruders erbe nimmt der sohn / und nicht die tochter / is sy denu / daß da kein sohn sy / so nimmt es die tochter. cui & correspondet Speculum Suevicum c. 253. & c. 279. ubi sine distinctione jus vetus Hebræorum approbatur, quod filii parentum hereditates destinaverat, exclusis filiabus, verba ipsa hic apponere placuerat, nisi paulò prolixiora essent.

§. VI. Verum enimvero postquam Jus Romanum Civile in forum Germanicum introductum fuit, conf. Courting. de Orig. Jur. Germ. c. 26. non potuit non fieri, quin domestica hæc in succedendo Germanorum jura atque mores una cum sexcentis aliis penitus obliterarentur, & eas in hac materia observantes secundum sola peregrini atque contrarii Romanorum juris principia deciderentur: & hoc jure hodie dum adhuc nostram uti Germaniam, sat supérque testantur ipsa suprema Imperii nostri Tribunalia.

§. VII. Cæterum quid juris sit circa successiōnem in rebus allodialibus, tradere, nostri non est instituti, de sola enim successione feminarum in Feudis, Speciminis inauguralis loco, mihi agendum venit. Ubique præmonendum: ante receptionem Juris Feudalis Longobardici, in Germania duo quam maximè celestria jura feudalia obtinuisse, Alemannicum seu Suevico,

cum, quod & Francicum audit, atque Saxonum;  
 quibus juribus scilicet populi illi Germaniae, qui Saxo-  
 nibus contradistincti Alemanni sive Suevi, & Saxones  
 vocantur, usi sunt à longissimo tempore. Schiltier in  
 præfat. Juris Alemanni. §. 4. & seqq. Et ambo hæc  
 jura fœminas à successione in feudis repellunt: textus  
 adsumt satis expressi, quorum verba hic adscribere va-  
 cat. Jus Alemannicum c. 1. §. 4. disponit in modum  
 sequentem: *Pfaffen und geburen und alle die nüt sem-  
 per lute sint und die nüt elich geboren sint, die jullent  
 alle lehenrechtes darben.* id est: Clerici mulieres &  
 agricole, & omnes qui sunt insfamia notati, & qui non  
 sunt legitimè nati, nec ex equestri genere, illi omnes ca-  
 rent jure feudal. interpretante ita Schiltero in Cod.  
 Jur. Alemanni. Huic concinit Jus Feudale Saxonum  
 c. 11. his verbis: *Pfaffen wib, dorfcere kouflute, und alle  
 die rechtes darben, oder uehliche geboren sin, von Va-  
 ter und von eldervater die suln lenrecht darben.* quem  
 textum versio latina sic reddit: Clerici, fœminæ, rusti-  
 ci & omnes jure privati & illegitimè nati, & qui de  
 stirpe non excunt à Patre aut ab avo, hi omnes jus non  
 obtinent feudale conf. Schilt. in Comment. ad Jus A-  
 lemanni. c. 1. §. 27. & 28. cùm verò, consuetudinibus  
 Longobardicis in Imperio nostro Germanico receptis,  
 omnis ferè utriusque hujus juris feudalis in Germania  
 nati conciderit authoritas Itterus de feudis Imper. c. 1.  
 §. 1. & 2. vid. tamen Horn. Jurisprud. feud. c. 1. §. 32.  
 hinc ne juribus illis diu immorando operam per-  
 dere videamur, in sequentibus de eo solum crimus  
 solliciti, quid de Jure Feudali Longobardico ratione  
 successionis fœminarum in feudis obtineat.

§. VIII. Antequam autem ad tractationis nostræ scopum proprius accedamus, observandum prius; non semper unam hoc jure fuisse habitam successionis in feudis rationem. Siquidem antiquissimo tempore feuda precaria erant, ita ut Domini ea, quandocunque vellent, revocare & auferre possent, quod conceptis verbis testatur Compilator Longobardicus I. F. 1. §. 1. post annalia fuere, mox verò ad dies vitæ Vasalli producta, quod jus etiamnum hodie obtinet in feudis *Guardiae* & *Gastaldiae*, de quibus agitur I. F. 2. 4. §. 3. & I. F. 10. & 11, uti & in reliquis personalibus beneficiis, qualia sunt de *Camera* & *Cavena* II. F. 10. *Ludv. in Tract de Success. feud. c. 1. p. m. 130.* Licet non negandum, hæc feuda in perpetuum quoque dari & ad heredes transire posse; conf. laudat. *Horn. Jurispr. Feud. c. 4. §. 1. 32. & 43. Thomas. de Feud. oblat. c. 1. §. 40.* In ceteris verò feudis paulatim progressum est ad filiorum successionem, unius primùm, quem Dominus eligebat, postea tamen ita jus filiorum habilitum, ut ad omnes æqualiter filios pertineret. Nec in filiis solùm substíttere beneficia, sed & ex Lege Conradi Salici, cuius loco, Hotomannus substituit Lotharium. vid. laudat. *Horn. loc. cit. c. 1. §. 20. & c. 15. §. 1.* ad nepotes, & dummodo feuda essent paterna, ad fratres defuncti porrecta I. F. 1. §. 2. Post hanc Constitutionem ad fratum liberos extensa fuit apud Longobardos successio: deinde usque ad gradum septimum successio in usu es- se coepit, d. I. F. 1. §. 4. I. F. 8. §. 1. in fin. tandem verò sicut in Descendentali d. §. 4. ita pariter in linea collaterali in infinitum usque recepta est. It. F. 31. & 50. Et hoc jure hodie dum utimur in minoribus non solùm, ve- rūm

rum & in Feudis majoribus Regalem Dignitatem annam habentibus I. F. 13. in fin. & 14. in pr. II. F. 53. §. 1.  
verj. præterea Ducatus. Iter. de Feud. Imp. c. 12. §. 2.  
Luduv. d. Tr. c. 1. p. m. 129. ibique Doctores allegati.  
rejecta distinctione Gailii 2. Obj. 150. & Mynsing. cent.  
2. obj. 95. utpote in nullo juris textu fundata Luduv.  
de Success. feud. c. 4. p. m. 221. & seqq. Stryk. de Success.  
abintj. Dissert. 3. c. 2. §. 14.

§. IX. Tametsi verò Successio paulatim tanta sumpserit incrementa, ut in infinitum usque etiam sit extensa, prout vidimus §. præced. communī tamen feudalis juris Interpretum calculo comprobata est régula: *Fæminas in feudis non succedere, atque si contra juris rationem hoc fiat, feudum hoc ipso pro improprio habendum esse.* Textus in hujus rei argumentum apertissimus habetur I. F. 1. §. 3. ubi Feudista, *Hoc autem notandum est, ait, quod licet filiae ut masculi succedant legibus: tamen à successione feudi removeantur.* Eadem regula confirmatur I. F. 8. pr. & §. 1. ibi: *Filia verò non succedit in feudo: itemque I. F. 24. pr. ubi dicitur: si quis sine filio masculo mortuus fuerit, & reliquerit filiam, filia non habeat beneficium Patris, nisi à Domino redemerit.* Cum prioribus concinit textus II. Feud. 11. in verbis: *ad filias verò seu neptes vel proneptes, vel ex filia nepotes seu pronepotes successio feudi non pertinet: proles enim fæminini sexus vel ex fæmineo sexu descendens, ad hujusmodi successionem aspirare non potest: nisi &c.* Hac repetuntur II. F. 36. & II. F. 50. ac in jure feudali passim.

§. X. Verum qua ex reverenter, ut in hoc etiam juris articulo deterior sit conditio fœminarum quam masculi.

masculorum, multiplici ratione disputatur inter Doctores. Nonnulli quinque ejus rei afferunt causas, quarum *Prima* est, quod arma ferre non possint fœminæ, *II. F. 36.* *Secunda*, quod publica honestas non patiatur, fœminas in virorum cœtibus versari. *conf. l. 1. §. 5. ff. de postulando.* *Tertia* consistere dicitur in fragilitate consilii, cum fœminæ consilium plerumque etiam contra propria commoda laborare inveniatur. *l. 4. Cod. de Sponsal.* *Quarta*, quod non facile arcana atque secreta ob garrulitatem innatam reticere possint mulieres, quod tamen se facturum, vasallus inter cetera jurare soleat. *II. F. 6. & 7.* *Quintam* esse ajunt causam, quod fœmina non possit honeste Dominum defendere in prælio, cum magis conveniat mulieres à viris defendi, quam viros à mulieribus, vid. *l. 2. ff. de injur. & famos. libell. conf. Hermann. Vultej. de feud. lib. 1. c. 9. n. 29. Rosenth. c. 7. concl. 31. n. 2. & 3. ibique in notis.*

**§. XI.** Circa hasce tamen rationes varia desiderantur ab aliis Doctoribus, neque enim singulæ, neque omnes ipsis videntur sufficietes; cum nullam, quæ idonea sit, reddi posse existiment, cur ad feuda aspirare nequeant fœminæ, præter eam, quod primis feudorum authoribus ita placuerit, & pro ratione sterterit voluntas, vid. *Vultej. cit. loc. Ludv. de success. feud. c. 2. p. m. 198.* Si meam dicere licet sententiam, plerasque §. præced. adductas rationes irrelevantes esse, diffiteri, haud possum: nullam verò sufficientem dari posse rationem, sed eam in hoc unico querere, quod stet pro ratione voluntas, teme arium esset. Itaque mihi alia eligenda est via; & ut paucis me expediām:

—  
—  
—

**§. XII.**

¶. XII. Ob duas satis prægnantes rationes fœminis successionem in feudis esse denegatam sustineo. Prima vera atque solida hæc est: quod fœminæ ad militiam sint haud idoneæ, & servitia militaria ritè & ex dignitate obire nequeant. *II. F. 36.* quæ clariss expressa cernuntur *I. F. 1. §. 3.* ubi post verba: *tamen à successione feudi removentur:* legitur: *quia neque fidam levare, vel pugnam facere possunt.* quæ licet à vulgaribus Editionibus absint, vetus tamen Codex Cujacianus ea habet, & *P. Pithœus* ita legit in *Glossar. L. Salicæ Zit. LXII. f. vid. Schilt. de natura success. feud. c. 1. §. 8.* Alteram genuinam nec priori secundam rationem, ob quam lexus sequior à feudi successione excluditur, judico esse illam, quam habet *Valentin. Förster. de success. lib. 4. c. 23. num. 48.* add. *Schilt. cit. loc. c. 2. §. 8.* quod scilicet feuda ad familiarum splendorem conservandam sint ordinata, quæ sicuti in agnatis & masculis subsistunt, & tanquam in solidissimis fulcris sustentantur, ita per fœminas & in illis extinguntur, utpote quæ & caput & finis suæ sunt familiæ, veluti eleganter loquitur *Paulus in L. 195. §. ult. ff. de V. S.*

¶. XIII. Evidem me non fugit, à quibusdam Doctoribus primam illam rationem, ab inhabilitate ad servitia deductam, unicè hanc in rem adduci; hanc verò à familiarum favore petitam, planè negligi, inter quos est *Horn. in Jurispr. feud. cap. 15 §. 5.* Sed vereor, ne sententia hæc paulò penitus insipienti textus *I. F. 1. §. 3. & II. F. 11.* suspecta videatur. Sanè unicā illā admisā ratione, masculos saltem ex fœminis prognatos ad successionem in feudis admittendos esse, contra allegatos clarissimos textus dicendum foret.

B

Cer-

Certum enim est, quod ratio, ob quam nepotes ex familia à successione feudali removentur, non consistat in habilitate vel inhabilitate ad servitia, quæ filias ipsas adficit, quod etiam fatetur ipse *Horn.* alleg. loc. Tralatitii autem est iuris, quod cessante ratione legis, cefset quoque ejus dispositio. Neque alia, quam plerumque adferunt ratio, quod scilicet fœmina plus juris in filios transference nequeat, quam ipsa habuit, arg. l. 175. §. 1. ff. de R. J. adeoque infecta radice omne infectum fit, quod ex illa descendit L. 3. Cod. de bon. matru. nobis facit sati; siquidem, licet masculi surdi, cœci aliisque imperfecti ad feudi successionem aspirare nequeant, cum inhabiles sint ad servitia. II. F. 36. communior nihilominus est sententia, ad filios illorum tali vitio non laborantes feudum devolvvi, modò suscepti, antequam successio agnatis fuerit delata. Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 9. aph. 10. n. 7. Stryk. de Success. ab intellect. Diff. 1. c. 3. n. 11. Ut taceam, quod Doctores nonnulli liberos hosce ad feudi successionem simpliciter admittant, licet ex postfacto, devoluto quippe ad agnatos feudo, fuerint prognati. Quæ cum ita sint, non solum ob primam rationem scilicet inhabilitatem ad militiam, sed & ob favorem familiarium sexum sequorem à successione in feudis remotum esse defendo; quin ultimam rationem præsertim apud Germanos, de familiarum conservatione apprimè sollicitos, potiorem fuisse audacter assero.

§. XIV. Ampliatur autem nostra, quam §. 9. pluribus insinuavimus, regula; fœminas nempe à successione in feudis esse exclusas: Tametsi primò fœminæ hic & nunc armis assuetæ, & ad militaria servitia exhibenda

benda idoneæ sint. Nam posito etiam, quod prima à nobis data cessaret ratio, altera nihilominus subsistit immobilis, adeoque una tantum cessante ratione, non statim ipsa quoque cessat dispositio. conf. *Ludw. de Success. feud. c. 2. p. m. 151.* *Struv. c. 9. apb. 8. n. 1.* Ampliatur secundò, ut procedat non in magno tantum feudo, quod nonnulli Doctores voluerunt, sed etiam parvo seu exiguo, cum exiguum feudum quoad naturam suam non minus feudum sit, quam magnum. *Rosenth. c. 7. concl. 31. n. 8.* *Ludw. in Synops. c. 9. p. m. 187.* Tertiò idem est in feudo Ligio. *Ludw. de success. feud. c. 6. p. m. 264.* ibique allegati Doctores: Prout & quartò eandem in feudis oblatis, quorum origo potissimum ad ea tempora referenda est, ubi dissidationes in usu erant, da das faustus und steigreissen recht im schwange gieng: contra plurimos dissentientes citatos à *Vultejo l. 1. c. 6. n. 56.* obtinere defendeo cum *Hertio de feud. oblat. p. 2 §. 37. pag. 112.* ubi notat graviter ea de re disputatum fuisse in causa Comitatús Sarverdensis. item in causa Dominii Borkelo. Feuda enim oblati, postquam introducta sunt, secundum aliorum & quidem propriorum feudorum naturam extimanda, immo propria esse, nullum est dubium. conf. *Thomas. de feud. oblat. cap. 1. §. 61.* *Stryk. Ex. Jur. feud. c. 4. q. 17.* Hanc sententiam disertè quoque amplectitur & defendit *Rosenth. c. 6. concl. 68. n. 28.* & c. 7. concl. 34. n. 8. ubi addit, se hoc aliquando in feudis optimis sine controversia observari vidisse.

§. XV. An autem quintò regula nostra procedat in feudo emptitio, paucis hic examinandum est. Feudum hoc impro prium esse, cuius foemina quoque

capaces sunt ; volunt plurimi Doctores citati apud  
*Vultej.* lib. 1. c. 9. n. 50. & *Ludw.* de *success. feudi.* c. 6. p.  
 m. 262. quam opinionem communem & veriorem se  
 credere ait *Clar.* 4. sent. 5. *feudum.* q. 73. n. 6. relatus à  
*Ludw.* cit. loc. & respondit *Natta conf.* 159. n. 16. Stul-  
 tum videri in feudo empto attendere regulas feudales,  
 quia tali feudo non competit definitio feudi, quā dicitur  
 esse beneficium : Hanc quoque sententiam in Ca-  
 mera Imperiali receptam testatur *Gail.* 2. obf. 159. n. 5.  
 Verum sicuti fundamentum illud falso est, sic totum,  
 quod super inadictatum, non potest non esse falso.  
 Feudum enim empitium esse feudum proprium, clarè  
 ostendit *Horn.* in *Jurispr. feud.* c. 2. §. 12. & c. 4. §. 8.  
 cuius sententiam adjuvant text. I. F. 16. 20. & 24. &  
 hoc multò minus dubii habet in eo, quod ab alio Va-  
 falllo Domini consensu est emptum. *Horn.* cit. loc. Quin  
 dato eo, non tamen concessio, empitium esse feudum  
 improprium, nihilominus formandas in eo non esse admit-  
 tandas, satis docemur notissimo hoc canone : *feudum*  
*improprium tantum in capitulis per pactum alteratio-*  
*mutatur, in reliquis vero communem feudi naturam re-*  
*tinet.* Hinc sexum sequiorem indifferenter, licet feu-  
 dum sit emptum justo pretio, & concessum sine jura-  
 mento fidelitatis, hinc excludi arbitror cum *Rosenth.* c.  
 2. n. 34. n. 7. Et sic quoque Camera Imperialis ali-  
 quando determinavit, ut testis est *Mynsing.* cent. 5. obf.  
 73. n. 4. Idem sentio, licet feudo empitio pactum de  
 retrovendendo fuerit adjectum, idipsum enim totam  
 feudi naturam non destruit; quoniam tamen feudum  
 hoc non est perpetuò penes Vasallum, sed tamdiu fal-  
 tem, usque dum illud reemat Dominus, hinc redem-  
 ptione

ptione facta à Domino pretium restitutum tam ad fœminas quam masculos pertinere defendo, ob rationem: quod pecunia ex feudo redacta non sit feudalis *11. F. 26.*  
*S. si vasallus de benef. & pretio à Domino restituto, habebatur ac si feudum nunquam penes vasallum fuisset.* Exceptionem autem facile admitto, si pacta conventa aliud exigant: Consentientes habeo *Hartm. Pistor. l. 3. q. 24. Richt. ad l. 2. Cod. de Palt. inter empt. & vendit. n. 122. & seqq.* dissentit verò *Carpz. l. 5. Reb. 31.* heredibus feudalibus pretium addicens. add. *Horn. cit. loc. c. 4. §. 8.*

*§. XVI. Sextò Regula subintrabit in feudo pignoratio.* *Horn. cit. loc. c. 4. §. 11.* Sunt quidem Doctores multi, qui id ipsum ad fœminas transire, & sic hoc intuitu quoque improprium esse volunt, inter quos est *Rauchb. p. 1. q. 37.* sed illorum doctrina minus convenit cum communi Feudistarum regula suprà dicta: quod feendum alteratum in uno in aliis non alteratis propriam feudi recti naturam retineat. Interim non negandum est, à perceptione pecuniae, cuius nomine pignus in feendum datum fuit, fœminas non esse excluendatas, licet enim in feudo ipso non succedant, aliquod tamen jus in rem istam, non quidem feudi, sed jus pignoris ipsis competit; hinc & fœminæ tamdiu rem istam retinere possunt, donec pretium restitutum *Horn. all. loc. Struv. c. 4. apb. 14. n. 1.* Cave autem ne confundas cum feudo pignoratio, feendum oppignoratum, quod scilicet à Vasallo consensu Domini, nulla intercedente investiturā, alicui pignori est obligatum & traditum, quin enim hic fœmina successionis sint participes, nullum est dubium, siquidem jus hoc reale,

quod creditor hac ratione in feudo nactus est, minimè  
est feudale, sed merè allodiale, uti pulchre post *ant.*  
*Dip. i. th. 7. lit. G.* hæc explicat laudatiss. *Horn. cit. loc.*  
*c. 4. §. 12.*

¶. XVII. Regula nostra *Septimò* procedit, utùt  
feudum sit Ecclesiaticum sive ab Ecclesia datum quod  
apud Germanos **Krumstabisch** Lehn ab incurvato sci-  
licet Episcoporum baculo vocari tralatitium est. Plu-  
rimi à nostra abeunt sententia, existimantes foeminas  
quoque in feudo Ecclesiastico succedere posse, juxta  
vulgatum proverbium: Pedum neminem excludit, h.e.  
der Krumstab schliesset niemand aus. Quorum meri-  
tò antesignanus dicendus Thummermuthus Advocatus  
Coloniensis in Tractatu, quem inscripsit: **Krumbs-**  
**stab schliesset niemand aus.** Sed recte ei dicam scripsit  
*Auth. Anonymus* sub titulo der **Öllemischer Krumbs-**  
**stab schleust die Weiber aus.** nam nec jus Longobar-  
dicum, nec jus Germanicum feudale hanc ullibi habet  
à regula exceptionem, nec mos etiam universalis huc-  
usque probatus, adeoque meritò illa opinio rejicienda,  
ita ut ille, qui sub hac vel illa Ecclesia jus commune  
exceptionem pati dicit, probare id debeat. *Rosenth. c. 7,*  
*Concl. 31. Coccej. de Feud. Fuldens. c. 1. §. 6.* Non obstat;  
Ecclesiam à Deo defensam armis non indigere, sed pre-  
ces, lachrymas & jejunia loco armorum esse, quæ ma-  
gis congruunt foeminis, quam masculis. Nam Resp.  
primò, hoc argumentum magis risu quam responfione  
dignum, secundò licet armis opus non habeat Ecclesia  
ad bellum inferendum, opus tamen habet ad bellum  
illatum propulsandum, & ad defendendum contra vim  
illatam. Deinde argumentum hoc nobis planè non  
ad-

adversatur. conf. suprà §. 12. & 13. Quod autem dictum proverbium germanicum attinet, illud vel falsum est, cùm origo ejus incerta, nec ulla lege publica confirmata; vel intelligendum de consuetudine speciali in feudis Fuldenisibus; aut dicendum, quòd fœminæ in feudis Ecclesiasticis per Prælatos facilius quam in aliis per Dominos seculares fuerint admitti. *Rosenth. all. loc. & in Not. lit. T. & U.*

§. XVIII. Utrum verò oðavò fœminarum exclusio in feudo franco etiam locum inveniat, apud Doctores adeò expeditum non est. Certum quidem est, illud eo casu, quando feudum concessum ut feudum francum masculinum, als ein freyes Mann-Lehn/ nullo modo succedere fœminas; Apparet enim tunc satis voluntas Domini sexum sequiorem excludens. *Hartm. Pift. l. 2. q. 34. n. 36. Struv. cap. 9. aph. 8. n. 3.* Quæritur autem hoc, quid sit juris, si feudum francum simpliciter datum, als ein Frey-Lehn/ ratione cuius nulla servitia præstanda? Non desunt, qui fœminas & in hac specie successionis capaces esse credunt, quos recenset *Ludw. de success. feud. c. 6. p. m. 259.* ipsi tamen Doctores in duas abeunt classes, aliis fœminas in subsidium saltem admittentibus cum *Stryk. in Exam. Jur. Feud. c. 15. q. 11.* aliis verò promiscuam sexui sequiori successionem concedentibus. vid. *Horn. in Jurispr. feud. c. 15 §. 6.* & in *Dissert. de feud. franc. §. 26.* ibique *DD. alleg.* quorum sententia, inhærendo simpliciter textui *ll. F. 104.* utique verior erit opinione *Strykii.* Argumentum, quo ille utitur, quòd scilicet fœmina regulariter saltem in subsidium succedant, nihil facit ad rem præsentem. conf. *Horn. c. 15. §. 6.* Nituntur alias Do-

Doctores textu, ut ajunt, satis rotundo *II. F. 104.* in cuius principio successio fœminarum expressè traditur; cui addunt, potissimum, adæquatam, atque in jure feudali expressam esse rationem: quod fœminæ sint inhabiles ad militiam, & servire nequeant. *II. F. 36.* cessante itaque in feudo franco hac ratione, ipsa quoque cessabit dispositio, fœminas à successione repellens. *arg. l. 32. ff. de Polz.* Verùm rationes hæ movere me nequeunt, ut in feudo franco à nostra suprà §. 9. stabilita regula statuam exceptionem. Quod enim attinet c. *II. F. 104.* illud nostram nullatenus infringit sententiam, utpote extraordinarium, quod contra textus & rationes juris feudalnis nullam pene habet autoritatem, uti DD. de Capitulis extraordinariis sentiunt communiter. Plurimum tamen negotii facessere videtur alterum contraria sententia fundamentum, sed neque hoc nobis officit; Evicimus enim jam suprà §. 12. & 13. fœminas non solum ob inhabilitatem ad militiam, sed & maximè ob familiarum conservationem successionis feudalnis non esse capaces, tametsi itaque una ratio ab inhabilitate ad servitia militaria petita hic deficiat, aliam tamen non statim cessare, sed & in feudo franco militare manifestum est. conf. *Rosenth. c. 7. concl. 34. n. 11.* Eandem sententiam in feudo censitico, & conditionato ad tale nimirum servitium concessso, quod quævis fœmina decenter obire potest, iisdem rationibus innixus obtinere defendo cum *Rosenth. c. 7. concl. 33. num. 8. & seqq. & Ludvv. cit. l. p. 260.*

§. XIX. Nonò nec fœminas admittendas esse judico, tametsi feendum alicui simpliciter concessum proficit hereditibus suis, vor sich und seine Erben / item vor

vor sich und seine Leibes-Erben. Nam in Nomothetia feudali heredis appellatio non quenvis, sed filium duntaxat, cæterosque masculos ex primo acquirente descendentes denotat, ut in hanc rem textus expressi sunt *I. F. 13. II. F. 34. §. 2. vers. profcl. add. I. F. 20. II. F. 18. 23. & 26. §. fin. & passim.* Accedit quod voce hac generica ea species intelligenda veniat, quæ substratæ materia & veræ feudi naturæ conveniat, à qua feudum constituere volentes, si hoc non expresse dicant, non creduntur deflectere. *Rosenth. c. 2. concl. 33. n. 9. & 12. Knichen de Vestitur. pation. p. 1. c. 3. n. 18. conf. præprimis Vultej. l. 1. c. 9. n. 32. & seqq.* Atque sic idem sentio, si posterorum, Nachkommen/ facta est mentio; quippe quæ vox itidem in materia feudali secundum propriam feudi naturam explicanda est. *conf. Schilter. ad Struv. Synt. Feud. c. 4. §. 12. pag. 30.*

§. XX. *Decimò regulam nostram procedere declaro, in feudo alienabili, cùm enim in eo solum à communi feudorum degeneret natura, quod illius etiam facultatem non consentiente Domino alienandi Vasallus habeat, in reliquis propriam feudi rationem retinet. arg. II. F. 48. Horn. c. 15. §. 6. vid. infrà §. 35.* Sicut & *undecimò regulam nostram, ejusque extensio-nes non solum de minoribus, sed de ipsis quoque feudi Imperii intellectam volumus, quæ & communiter masculina esse, nec non fœminas ab eorundem successione regulariter exclusas esse, praxi quotidiana attem-stante, rectè docet Perillustris Dn. à Ludolff. de Jur. fœm. illustr. Sect. 2. Membr. r. §. 10. Itter. de feud. Imp. c. 14. §. 11. ubi plurimos alios Doctores pro hac sen-tentia adducit.*

C

§. XXI.

§. XXI. Denique duodecima regula nostra eō  
 se extendit, ut ne quidem masculi ex filiabus prognati  
 aditum habeant ad successionem feudalem. Disposi-  
 tiones in hanc rem apertissimā sunt *I. F. r. §. 3. & II.*  
*F. 11.* Horum iurium Doctores varias in medium  
 proferunt rationes, ex quibus potiores hic adducere,  
 opera pretium esse duxi. Primo pro ratione assertur,  
 quod filius eo ipso, dum vult succedere, surrogetur in  
 locum matris, surrogatum autem sapiat naturam ejus,  
 in cuius locum surrogatur: quo argumento ad de-  
 monstrandum, quod matre à successione feudi exclu-  
 sa, etiam ipsius filii excludantur, usi sunt Doctores  
 quidam veteres, inter quos *Ifern.* Deinde adducitur,  
 quod successiones non siant per saltum, sed ordine ju-  
 ris servato, ideoque necesse sit ad hoc, ut gradus se-  
 quens admitti possit, gradum præcedentem successio-  
 nis esse capacem. Porro urgeri in hanc rem solet:  
 quod impedimentum obstans defuncto, ipsius etiam  
 obstat successoribus; quandoquidem successor melio-  
 ris conditionis esse non debeat, quam ipsius anteces-  
 sor, à quo causam habet; secundum vulgatam juris re-  
 gulam: quod nemo plus juris in alium transference pos-  
 sit, quam ipse habet. *L. 54. ff. de R. J.* verū omnes  
 has rationes minus facere ad rem præsentem, suprà §.  
 13. jam insinuatum. Principem igitur assingo locum  
 rationi illi: quod feuda familiæ causa sint concessa.  
*Förster. l. 4. c. 23. n. 48.* Etenim Vasallus, qui feudum  
 acquirit, suæ singulariter prospicere vult familiæ ac-  
 sanguini, quam familiam elit quoque Dominus, ni-  
 hilque minus velle creditur, quam ut ad feudum ad-  
 mittantur, qui seorsim ab ea familia nascuntur; jam  
 verò

verò descendentes ex fœminis masculi non avi mater-  
ni, sed patris sui familiam sequuntur *l. 196. §. 1. ff. de  
V.S.* ejusdémque arma & insignia gerunt. *Höping. de  
jure insign. c. 7. n. 51. seq.*

*§. XXII.* Pluribus ostensum est hactenus, se-  
xum sequiorem in feudi successione regulariter non  
admitti; quæritur nunc: *Annon ergo in his casibus le-  
gitima saltem aut dos ex feudo ipsi debeatur?* Et de le-  
gitima unanimis est Doctorum sententia, fœminas ex  
feudo, à quo excluduntur, nec legitimam petere posse  
portionem, cum hæc portio sit illius, quod ab intesta-  
to debetur. *l. 8. §. 6. ff. de inoff. testam.* Sexus au-  
tem sequior successoris feudalis incapax, & sic ex feu-  
do nihil debeatur illi. Ex quo statim apparet, aliter se-  
rem habere illis in casibus, ubi filiæ in feudo succedunt,  
tunc enim procul dubio ex ipsa feudi substantia legiti-  
ma filiabus non potest denegari. *Horn. c. 15. §. 10.*  
Quod si autem feudum, cuius fœminæ incapaces sunt,  
noviter sit à Patre acquisitum, ex eo filiabus legitimam  
præstandam esse, volunt Doctores communiter; quod  
admitto, si Pater in illud omnia sua bona vel maximam  
partem impenderit, ac sic in legitima filiæ damnum  
sentiant, quo casu utique vel totam legitimam vel  
supplementum petere possunt ex feudo. *arg. tot. tit.  
de inoff. donat. Ludw. de success. feud. c. 2. p. 154.* i-  
dem dicendum, si quis bona sua omnia, vel maximam  
partem in feudum obtulit, & sic in officiosa liberalitate  
erga successores feudales filiarum lassit legitimam. *Ro-  
senth. c. 6. concl. 68. n. 29.* Quomodo autem utroque  
casu legitima sit computanda, docet *Horn. cit. loc. ubi  
simil rationem adducit, cur in præsenti casu compu-  
tatio*

20

tatio legitimæ aliter ineunda sit, quam si filiis ex feudo  
ea præstanda.

§. XXIII. De dote quoque idem statuendum,  
videlicet nec eam ex feudo constituendam esse, cùm  
id in nullo juris Longobardici textu cautum reperi-  
tur; conf. II. F. 9. §. 1. Moribus tamen ex æquitatis  
quadam ratione in Germania introductum esse, ut in  
subsidium, si hereditas non sufficiat, alimenta & dos ex  
feudo præstari soleat non solum à fratre, sed etiam  
quovis agnato, plerique ferè testantur Doctores. Hart-  
man. Pistor. l. 2. q. 37. & q. 38. n. 41. Vultej. de feudo.  
l. 1. c. 10. n. 59. Sig. Finckelth. obs. 21. n. 18. Mev. P. 2.  
D. 119. n. 2. & P. 3. D. 367. n. 2. imò planè quibusdam  
in locis Germaniae indistinctè receptum, ut fœminis ex  
feudo dos præstetur, paterna licet hereditas satis ad-  
huc sit ampla; id quod in Pomerania tota die obser-  
vari testatur laudat. Mev. P. 3. D. 363. minor tamen  
hoc passu dotis quantitas erit. Idem de Marchia pro-  
bat Müller. in Resolut. March. Resol. 62 n. 16. vid. ta-  
men Rhetus I. F. 8. p. 316. Quæ sit consuetudo in Sa-  
xonia Electorali, videri potest apud Horn. c. 21. §. 12.  
Ad quantitatem dotis quod attinet, in illius determi-  
natione tum ad magnitudinem, conditionem & preti-  
um feudi, tum ad liberorum numerum, aliisque cir-  
cumstantias respiciendum est; si partes convenire ne-  
queunt, Domino directo de eo est arbitrium. Struv.  
c. 14. aph. 17. n. 3. quippe cuius interest, ne feuda ni-  
mum onerentur. Mev. P. 3. Dec. 364. n. 6. In Prin-  
cipum aliisque Illustribus familiis pacta familiaria hac  
de re plerumque disponunt, de quibus vid. Myler. ab  
Elrenbach in Gamologia. Quin in ejusmodi perillustri-  
bus

bus familiis pactis aliquando determinatur certa quantitas, qua nomine dotis filiabus Principum Appanagiorum à Principe regente ex feudo exsolvenda est; quam semper, tacentibus licet pactis, filiabus Appanagiorum Principum ex feudis præstandam esse, defendit *Perilluistris Dn. à Ludolf. de jur. fœm. illustr. Sect. 2. memb. 2. n. 18.* contra *Cothman. volum. 2. conf. 3. & 4.* De cætero utrūm in casibus, quibus dos filiabus debetur ex feudo, feudum illud pro dote hypothecæ nomine tacitè sit obligatum, merito dubito cum *Rosenth. c. 7. concl. 47. num. 6.* nisi & hoc statuto aut consuetudine usurpatum sit:

*§. XXIV.* Quantum autem ad illius anni, quo vasallus decepit, fructus nondum perceptos attinet, foeminas hos capere indubii juris est. De fructibus naturalibus & industrialibus in jure Longobardico disponitur: ut si post Kalendas Martii deceperit vasallus, illi ad heredes allodiales, adeoque & ad foeminas pertineant. *II. F. 28. §. his consequenter.* *II. F. 86.* Vasallo verò decadente intra Kalendas Septembres & Kalendas Martii, fructus nondum percepti ad successores feudales spectant, exclusis heredibus allodialibus. *all. text.* Foemina tamen impensas propter fructus factas optimo jure à successoribus feudalibus repetrere possunt. *arg. II. F. 28. §. si Vasallus,* fructus enim non intelliguntur nisi deductis impensis. *l. 36. §. fin. ff. de petit. heredit.* Cæterum placitum hoc Longobardicum adhuc in foro observari, testatur *Rosenth. c. 10. concl. 42. num. 36.* nisi alicubi per statutum vel consuetudinem contrarium sit receptum, uti de Saxonia testantur Doctores Saxonici.

§. XXV. Fœminis etiam melioramenta feodorum (quò pertinet omne id , quod in utilitatem feudi v. gr. ad refectionem, meliorationem, ejus liberationem à vasallo defuncto impensum ) restituenda esse , omni caret dubio, cùm jure allodialium censeantur. II. F. 28. §. si vasallus. Schrad. P. 10. Sez. 18. n. 127. adeò ut ipsis hac parte in rebus feudalibus jus retentionis competit. Mev. P. 3. Dec. 368. modò melioramenta sint liquida. Alias enim ob jus alterius illiquidum suum cuiquam negare aut differre iniquum esset. Mev. cit. loc. Quin si feudum à Successoribus feudi sit occupatum, actionem saltem utilem ex quasi contractu negotiorum gestorum ipsis tribuit Horn. c. 21. §. 5. pro sua sententia adducens l. fin. ff. de Negot. gest. vid. etiam Bitsch. ad Tit. II. F. 28. §. 2. notab. 6. & Rittersh. part. feud. l. 2. c. 6. q. 38. in f. Quomodo autem impensa in meliorationem feudi factæ sint computandæ , an scilicet tantum, quantum impensum , an saltem præsentem estimationem heredes allodiales recipiant? decisio ex l. 38. ff. de Rei Vind. petenda. conf. Mev. P. 3. Dec. 41. n. 2. non obstat l. 10. ff. de Negot. Gest. Vasallus enim non tanquam negotiorum gestor , sed tanquam Dominus utilis primariò in suam utilitatem impensas fecit, secundariò autem solum successoris futuri commoda respexit: Peculiare quid hic reperitur cautum in Saxonia, ubi impensa in ædificia factæ heredibus allodialibus non bonificantur, sed cedunt heredibus feudalibus aut Domino. vid. Carpz. p. 3. c. 31. def. 1. Struv. c. 15. aph. 17. n. 4. An verò huic sententiæ , quæ melioramenta feudi fœminis addicit, quoque in feudis Imperii sit dandus locus , latè inquit Perill. Dn. à Ludolff. Came-

Cameræ imperialis Assessor celeberrimus de jur. fœm. il-  
lustr. Sect. 2. memb. 1. §. 16. in negativam inclinans,  
ubi tamen §. 17. diffiteri nequit, affirmativam magis es-  
se communem. conf. etiam Rosenth. cap. 7. concl. 47.  
num. 15.

§. XXVI. Sed hæc hactenus de communi feu-  
dalis juris regula: quod scilicet fœminæ feudorum non  
sint participes, ejusdèmque ampliationibus, ut & ratio-  
nibus pro illis facientibus disputata sunt: Proximum  
est, ut nunc de exceptionibus quoque illius regulæ vi-  
deamus, quibuscque casibus ipsæ fœminæ & earum pro-  
pago ad feudorum jura pervenire queant: Nimirum  
quanquam fœminarum genus ob inhabilitatem ad ser-  
vitia militaria, & ob conservandum familiarum splen-  
dorem à successione in feudis arceatur, tamen multi  
oppidò casus sunt, quibus & ad feuda aspirare potest,  
& quidem ex triplici potissimum capite: vel ex ipsa  
feudi natura, vel ex speciali pacto, aut ex speciali loci  
statuto vel consuetudine.

§. XXVII. Ex ipsa feudi natura & qualitate  
fœminæ ejusque descendentes succedunt in feudo fœ-  
minino, de quo fœmina primùm ac de novo investita,  
Germanis dicto, ein Weiber oder Künckel-Lehn/ item  
Schlayer-Lehn. I. F. 8. §. 2. vers. nisi investitæ fuerint  
&c. II. F. 11. vers. nisi ejus conditionis sit feudum. his  
junge II. F. 30. & II. F. 50. Atque hujusmodi feudi ea  
natura est ac conditio, ut ad fœminas quoque transeat;  
tametsi de eo nihil expressè pactum fuerit. II. F. 30.  
Quandoquidem enim feendum hoc originem suam à  
fœmina cœpit, vero admodum simile est, tam conce-  
dentem, quam acquirentem voluisse, ut primam illam  
qualitatem etiam in succendentibus retineat. Hinc sicut  
quam-

quamcunque rem à sua metimur origine, ejusdēmque principium respicimus, itā quoque recto judicio colligitur, quodlibet feudū ratione acquisitionis fœminū, tale quoque in se ac sūi naturā esse intuitu successionis; Nec obſt, quod in all. text. II. F. 30. contraria quoque referatur opinio; etenim prior, quæ est Gerhardi Nigri & Oberti de orto, merito est præferenda propter text. II. F. 50. ubi notanter hæc verba habentur: & non filia, niſi ex pacto vel niſi NB. fœmineum fit. add. II. F. 11. atque sic, quod uni textui deest, ex alio supplendum. Ludv. de ſuccēſſ. feud. c. 6. p. 257. conf. præprimis Hartm. Pistor. l. 2. q. 34. n. 14. & ſeqq. Vult. l. 1. c. 9. n. 46. Dein fœminas hic ſuccedere existimo, tametsi beneficium, quod antea masculinū fuit, ſimpli- citer confeſſum ſit fœmina. Sicut enim feudū per consolidationem penitus extinclum eſt, & res, quæ olim in feudū dabatur, ad naturam allodii rediit. arg. §. fin. Inſt. de Uſufr. I. F. 5. II. F. 37. Hinc ſi noviter de ea investiatur fœmina, juxta communem juris feudalis regulam, vide- tur confeſſa, uti in alia, ſed simili tamen materia argumentatur Horn. Difſert. de feud. franc. §. 14. conf. etiam text. I. F. 24.

g. XXIX. Dicitur autem illud feudū ſolum fœmininū, quod primitus acquisivit fœmina, quodque in illa primas egit radices; itaque judico cum Ludw. in Tr. de diſiſ. feud. c. 2. p. 89. & de ſuccēſſ. feud. c. 6. p. 258. à veritatis tramite longè aberrare illos, qui feudū à fœmina masculo confeſſum fœmineum eſſe contendunt, feudū enim masculinū & fœmininū non ex persona dantis, ſed accipientis aſti- mandū. arg. II. F. 39. neque mulier feudū masculo conce-  
ſup

concedendo à propria & communis feudorum natura  
recedere voluisse præsumi potest. arg. II. F. 3. §. fœminam. Sic & illos à vero abesse puto, qui feudum à  
masculo acquisitum cum pacto, ut in eo fœmina succedant, fœmininum esse volunt. conf. II. F. 11. & II.  
F. 50. ubi exprefse Feudista feudum fœmineum ab eo  
distinguit, quod pacto ad fœminas transit. vid. tamen  
Horn. c. 4. §. 4. Alii ad distinctionem feudi fœminei,  
feudum fœminæ hoc appellant; ut videre est apud  
Stryk. Ex. jur. feud. c. 4. q. 7. Occasione hujus viden-  
dum quoque, quomodo feudum illud, de quo masculus  
& fœmina simul investiti, appellandum veniat;  
nonnulli Doctores masculinum id esse contendunt,  
quod à potiori sit facienda denominatio. arg. I. 10. ff.  
de statu hom. Ludw. in Tr. de Divis. feud. c. 4. p. m.  
88. alii verò mixtum id esse volunt, inter quos Hartm.  
Pist. p. 3. q. 34. sed penitus consideratā hujus feudi  
naturā, non unum, sed duo potius feuda, unum ma-  
sculinum, alterum fœmininum concessa esse deprehen-  
des. conf. Struv. c. 4. aph. 17. n. 4. modum succeden-  
di in hoc feudo tradit Stryk. in Ex. jur. feud. c. 4. q.  
12. cui junge Struv. cit. loc.

§. XXIX. Redeundo nunc, unde digressus e-  
ram; si fœmina pro se & heredibus feudalibus benefi-  
cium obtinuit, fœminas quoque ad successionem ad-  
mittendas esse, suadet substrati feudi conditio; utū e-  
nim de jure communi Clientelari nomine heredum feu-  
dalium solos venire masculos, plus quam certum sit.  
conf. suprà §. 19. veruntamen cum ipsa lex fœminas  
alias feudorum incapaces specialiter ad successionem in  
feudo fœminino reddidicrit habiles II. F. 30. secundum

D

fœmi-

fœminini feudi naturam quoque verba concessionis explicari oportet. Rosenth. c. 7. concl. 35. n. 16. Aliud est, si fœmina feudum concessionem pro se & suis tantum filiis, vel feudum ei datum ut masculinum, zu *ihren rechten männlehn/* quod' eti ratione originis fœminum sit quidem, effectu tamen masculinum esse, ita ut fœminis nullus hic succedendi locus, indubii est juris. Rosenth. c. 7. concl. 36. n. 3. & 17. Strut. c. 9. aph. 8. n. 11. Evidem non ignoro, vocabulum *Mannlehn* interdum, & in antiquis tabulis præsertim, feudum in genere significare, veluti Curia Domini & hodie audire solet *Mann-Cammer/* eti feuda eō pertinencia sint promiscua, veluti observant *Eyben Ele&.* feud. c. 9. §. 5. p. 85. Lynck. ad *Struv.* c. 4. aph. 17. n. 4. sed in recentioribus tabulis ferè haud aliter, quam pro feudo masculino hæc appellatio accipitur, in oppositio-ne ad feudum fœmininum. Laud. *Eyben* cit. loc. §. 23. in fin. quamvis interim non negandum, studiosè esse examinanda verba sequentia, ut verus sensus inde erui queat. Singulare hic occurrere in Episcopatu Monasterensi notat Laud. Rosenth. cit. loc. n. 18. Putat autem Rosenth. cit. loc. n. 13. & 14. in nostra hypothesi, dom fœmina feudum pro se & filiis acquisivit, für sich und ihre männliche Erben/ quod, licet fœminæ ad successionem aspirare nequeant, masculi tamen ex his procreati saltē juris succedendi hic sint participes; verum ejus rationes tanti non videntur esse momenti, ut mihi faciant satis, adeoque, ob favorem, qui hic quoque militat, familie conservandæ & agnationis maleficos ex sexu fœmineo descendentes nomine filiorum non venire existim. & Rosenth. sibi ipsi non est constans, vid. n. 17. §. XXX.

§. XXX. Ad feudum quod in se ac sui natura ita comparatum est, ut in eo succedant mulieres, referunt quoque Doctores feudum hereditarium, quod Germanis dicitur *ein eigenthümlich Lehn-Guth*. consule Schrad. p. 7. c. 3. n. 1. Rosenth. c. 7. concl. 41. n. 23. quibus tamen ita crudè adstipulari nequeo; cum enim feudum hereditarium non sit uniforme, sed variis inter se gradibus ac modis distinguitur. vid. Horn. Jurispr. feud. c. 4. §. 34. conlequens est, non unam eandemque semper in eo obtinere juris dispositionem; Si constet feudum merè & absolutè hereditarium esse, h. e. quoad transmissionem & translationem in alios, cuius plenissimam formulam vidēsis apud eundem Horn. cit. l. §. 40. in eo foeminas succedere facilè largior. Idem dicendum de eo feudo, quod quoad successionem saltem omni ex parte naturam rei allodialis sequitur: quod etiam à quibusdam merè & absolutè hereditarium vocatur. Quòd si autem quoad modum successionis hereditarium saltem est, conf. Horn. cit. l. c. 4. §. 34. non statim etiam quoad personas succedentes pro hereditario potest haberi, atque adeò foeminae à successione excludendæ erunt. Carpz. p. 3. c. 18. d. 11. Quare literæ investituræ studiosè sunt investigandæ, & vindendum, an & in quantum natura feudi communis per illas sit immutata, à qua, nisi apertissima voluntas appareat, non recedendum. Horn. cit. l. §. 35.

§. XXXI. Ob speciale pactum juris successori participium nanciscuntur foeminae in feudo, quod primum quidem à masculo acquisitum, interim talis contractui Clientelari adjecta est lex, ut feudum etiam ad foeminas transmittatur. I.F. 1. §. 3. I.F. 8. §. 2. I.F. 14.

*in fin. II. F. 11. 23. in fin. 30. & 50.* Neque vero de ratione hujus generis feudorum magnopere laborandum est, nihil etenim tam naturale, quam ea, quæ inter aliquos placuerunt, servare, *l. 1. ff. de Paetis*; adeoque cum feudum ex conventione legem accipiat, haec meritò servari debet. *conf. I. F. 14.* ubi *in fin.* Cujacius ex manuscriptis præter alia addit sequentia: *si ergo Domino & fideli placuit, ut paciscantur de filiabus, quatenus ipse succedant, hoc quoque servandum est.* Et potest utiq; Dominus rei suæ, quam in alterum transfert, legem scribere, quam vult, eaque etiam ratione juri, per masculorum extinctionem pro se introducto, renunciare. *arg. l. 29. Cod. de Paet.* Cæterum sicut in feudo novo tantummodo, non in antiquo, itemque in feudo principali, non etiam in subfeudo fœmininus sexus pacto ad successionem vocari potest, nisi consentiant, quorum interest, *conf. II. F. 34. §. 2. vers. profectio.* ita tali casu verba conventionis clarissime exprimenda sunt, diligentèque observanda veniunt, utpote quæ legem dant huic negotio. *d. I. F. 14. §. 2. II. F. 18.*

§. XXXII. Non deerit vero operæ pretium, si de unâ vel alterâ formulâ paucis jam simus solliciti, & quidem si in litteris investituræ generaliter facta mentio fœminarum, ut si feudum pro se & suis heredibus masculis & fœminis concessum, aut si formula sonet: *pro se & heredibus suis utriusque sexus.* Hic procul dubio omnes ex primo acquirente descendentes fœminæ admittuntur. *II. F. 17. 23. in fin. & 51. §. similiter. Rosenth. c. 7. concl. 42. n. 3. Ludv. de Success. feud. c. 6. p. m. 267. Struv. c. 9. aph. 8. n. 16. & Doctores communiter teste Rosenth. cit. l. in not. lit. E. Dispu-*

Disputare autem DD. solent, Primò quinam effectus sit clausula: pro se & filiabus suis? Sanè plurimi per hanc clausulam solas filias exclusis nepotibus, neptibus, reliquisque ex iis descendantibus ad successionem vocatas esse volunt. Rosenth. cit. loc. num. 4. & seqq. Stryk. de success. ab intest. Diff. 1. c. 3. §. 3. Struv. cit. loc. n. 15. Atque his maximè utuntur rationibus: quòd appellatione filiarum non veniant neptes & nepotes. arg. §. fin. Inst. qui testam. Tutor. dar. l. 6. ff. de Testam. tut. Item, quòd hic succedant filia ex pacto exorbitante à communi feudi natura, adeoque pactum illud strictè accipi, neque de persona ad personam debeat extendi. Verùm inattentis his rationibus contrariam sententiam veriorem esse judico cum Ludv. de success. feud. c. 6. pag. m. 267. per textum non obscurum in §. 3. I. F. 1. ubi hæc notantur verba: similiter & earum filii: nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat. Ex quibus verbis evidenter infero cum Baldo ad b. §. n. 15. Ergo, si pacto filia specialiter vocatae fuerint, non ipse tantum, sed & filii earum admittendi sunt, & per consequens etiam filia. Deinde hæc natura feudi est, ut descendentes in infinitum succedant, I. F. 1. §. 4. II. F. 50. cui utique contrahentes se conformare voluisse credendi sunt, in primis feudum accipiens, qui non solum filiabus, sed etiam descendantibus ex illis procul dubio quovis meliori modo prospicere voluit. arg. II. F. 18. Præterea si Pater pro se & filiis suis feudum acquisivit, ipsi contraria sententia patroni nepotes ex filiis ad successionem admittunt; quæ autem disparitas, quòd appellatione filii nepotes ex eo descendentes intelligantur, non autem filia appellatione neptes ex illa prognata? profectò nulla.

§. XXXIII. Neque obstant nobis contraria sententia fundamenta. Saltem quod ad *all. text.* ex jure civili attinet, illorum resolutionem expectabimus ab ipsis contraria sententia Doctoribus; eundem enim nobiscum nodum hic solvere, necessum habent in ante proposito casu, quando filiorum appellatione nepotes quoque contineri sustinent, & quod ibi respondent ad *all. text.* idem & nos hic pro responsive dabimus; quandoquidem vero illas leges sibi in illo casu non obstat existimant, neque nostram infringere poterunt sententiam vid. interim *Vinn. ad cit. §. fin. Inß.* Ceterum quintam appellatione filii quam filii justa interpretatione omnes ex ea descendentes contineantur, nullum est dubium. vid. *I. 84. 201. & 220. §. f. ff. de V. S.* Et hanc justam interpretationem in primis in materia successionis obtinere docemur *I. 85. ff. de hered. inßit. & I. 30. Cod. de fideicommiss.* Non difficultus quoque est responsio ad alterum contraria sententia fundamentum, quod hic male venditatur, etenim nulla adest ratio, quare patet hoc strictè adeò sit accipiendum, ut neptes reliquie ex filiabus descendentes penitus excludantur. Sanè non agitur hic de præjudicio alicujus tertii, quod rigorosam hanc suaderet interpretationem, quin contra concedentem latissime facienda hic interpretatio, cui imputari potest, quod legem non dixerit apertius *I. 39. ff. de pact.* idque vel maximè, cum scire debeat, omnia feuda sua natura regulariter esse perpetua, & ad heredes tam masculos quam feminas, si de his nominatum dictum sit, transitoria esse. conf. *II. F. 23. inf.* Neque propterea in hoc pacto tam stricta interpretatio admittenda; quod neptes ex filiabus descendentes sint inhabiles

biles: cùm enim illa inhabilitas non obstet filiabus, neque liberis illarum obesse poterit: & qualitatem, quam Dominus probavit in filiabus, in liberis illarum improbare non poterit, quia quod ab initio placuit postea displicere non potest. arg. l. s. Cod. de oblig. & a. Nec denique favor & dignitas familiæ tam strictam suadet pacti hujus interpretationem, ut putat Struv. loc. suprà cit. Siquidem contrahentes non tam de familia splendore & dignitate conservanda fuere solliciti, quam omnibus acquirentis descendantibus promiscue prospiciendi studiosi; eò quod in primis investitura litteris & filiabus prospexerint, quæ fanè familiam non conservant, sed in alienam familiam translatae, suæ genealogiae notam amittunt, paternumque nomen cum nomine mariti commutant. His ita deductis.

*J. XXXIV. Secunda exoritur inter DD. controversia, quid juris sit, si feudum alicui & filia e. gr. Antoniae sit datum? Feudum hoc planè personale esse, neque ad descendentes ex filia ista *Antonia* per successionem devolvi, volunt DD. communiter teste *Vultej. l. i. c. 9. num. 61. infin.* Huic opinioni etiam subscribunt illi, qui alias in priori casu nobiscum sentiunt, ut Hartm. *Pist. l. 2. q. 34. num. fin.* ubi hoc omnes tenere afferit. Verum & hæc descendentes ex filia *Antonia* ad successionem admittendos esse, verius judico cum Ludw. cit. loc. p. 269. Nam expressio nominis proprii in dubio nihil aliud plus operari poterit, quam ut parente defuncto sola ista filia in feudum succedat, exclusis sororibus suis, nepotes autem ex illa nati non repellantur: eò quod hæc sit perpetua feudi natura, ut, nisi expressè aliud actum appareat, descendentes in infinitum*

tum succedant. *I.F. 1. §. 4.* cui in dubio contrahentes derogare voluisse non præsumendum. Quanquam vero hæc sententia, ut & illa, quam *§. præced.* defendi, prægnantibus satis nitatur rationibus, nec non analogiæ juris feudalis planè conveniat, ita ut procul dubio in foro secundum illas pronunciandum esse, omnino sim persuasus; attamen quod plurimi DD. in contrarias abeunt sententias, atque adeò metuendum, ne, casu obveniente, descendentes ex filiabus in succendo repulsam ferant, ideo consultum est, ut ille, qui posteris ex filiabus prospicere vult, litteras investituræ quam plenisimè conscribi curet, siveque omnis litigandi occasio præscindatur.

*§. XXXV.* Porro tertio diversa scholæ Dd. acriter digladiantur, qua sit vis ac efficacia hujus formulæ: quam feudum masculo pro se & hereditibus quibuscunque vel pro se & successoribus quibuscunque: vor sich und alle seine Erben / vor alle seine Erben und Nachkommen concessum. Non pauci sunt, qui ob generalitatem verborum non tantum heredes descendentes, sed etiam ascendentes & collaterales, imò etiam extraneos, atque sic ex testamento quoque venientes hæc formulæ contineri autumant, ad foeminas tamen ex vasallo descendentes eam extendere nolunt. *Ludw. in Synops. p. 71. & de divis. feud. c. 4. p. 102. Struv. c. 4. aph. 13. n. 5 & c. 9 aph. 8. n. 12.* Plurimi contraria sentiunt, existimantque verba illa & ad heredes extraneos & ad foeminas extendenda esse. *And. de Isern. ad II.F. 39. Gail. 2. obs. 154. n. 6. Rosenth. c. 9. membr. 1. concl. 40. n. 14. & infiniti alii, quos citat Vultej. l. 1. c. 9. n. 35.* Alii non solum foeminas, sed & multò magis extraneos quos-

vis

33

vis non admittunt, quorum sententiam in punto juris  
veriorem sibi videri ait *Vultej. cit. l.* licet priorem *Gai-  
lii* & aliorum, utpote plurium Doctorum auctoritate  
suffultam in judicando sequendam esse judicet. Si  
queras, quanam ex his sit amplectenda? Respondeo  
neutram; licet enim diffiteri nequeam, formulam hanc  
ad solos heredes feudales restringi non posse, utpote  
quam restrictionem respuit verborum generalitas, ne-  
que facile credendum, contrahentes vocabulo: *qui-  
buscunque* frustra usos esse, sed eo potius animo, ut  
præter regularem feudi naturam aliquid operaretur,  
quicquid etiam contradicat *Vultej.* cum suis sequaci-  
bus; veruntamen nullatenus à me impetrare possum,  
ut tantam vocabuli illius esse credam efficaciam, ut ad  
heredes etiam planè extraneos feudum transitorium fa-  
ciat. Proinde si sententiam liberè dicere, mihi integ-  
rum est; feudum sub hác formulá concessum nullatenus  
ad heredes vasalli extraneos extendi posse, sed de-  
scendentes ex primo acquirente fœminas, ob vocis ge-  
neralitatem, in eo admittendas esse, sustineo. Cur ve-  
rò ità sentiam, prægnantes satis me movent rationes.  
Nam quod sub generali appellatione: *quoruncunque he-  
redum*, etiam extranei venire debeant, id nec analogi-  
æ juris feudalismi, nec intentioni primorum contrahenti-  
um convenire videtur, cum nunquam in feudo succe-  
dat extraneus, sed jus illud primi tantum acquirentis  
descendentibus concessum sit, & acquisitum. *arg. I. F.  
8. II. F. 11.* Dum igitur heredum nomine semper in  
jure feudali soli continentur descendentes, *all. text.*  
magis quoque est, ut verba hæc generalia ad Vasalli de-  
scendentes quoscunque, ideoque & ad fœminas, quam

E

ad ex-

ad extraneos & planè ignotos, extendamūs; quæ explicatio non solum conformior erit juri feudalī, sed etiam quoque ipsa primorum contrahentium intentio suadere videtur. Verisimilius siquidem est, eos per generalem hanc vocem: *Quibusunque magis omnibus indistinctè Vasalli descendantibus consolere voluisse, quam extraneis, neminiq[ue] illotum cognitis.* vid. II. F. 18. Quod sicut de primo aquirente indubie presumendum, quippe qui proprio magis sanguini, quam extraneo & planè peregrino prospicere vouiisse, censendus est, propter summum amorem & arctissimum vinculum parentes inter & liberos, Arist. 4. Post. c. 14. ita idem de Domino concedente dicendum esse, probatu non admodum difficile erit. Dominus namque quando gratiam voluit facere Vasallo, feudum ei, omnib[us]que ejus heredibus concedendo, procul dubio credendum est, eum ex præsumpta magis erga Vasalli descendentes quoscunque affectione, omnibus indistinctè, adeoque & fœminis potius benefacere ac gratificari voluisse, quam extraneis & planè Domino ignotis. Nec obstat, quod fœminæ non succedant in feudis, utpote ad servitia inhabiles. II. F. 30. Nam quis ignorat, illud dependere unicè ab arbitrio & voluntate Dorsini? qui si voluit huic suo juri renunciare, fœminæ utique erunt successionis feudalis capaces; Dominum autem in præsenti hypothesi impedimentum illud fœminis in feudi successione alias obstans non attendisse, sed magis in illas, quam extraneos quoscunque consensisse satiis perspicuum est; hoc solum attento, quod sic major adsit spes, fore, ut feudum facilitius revertatur ad Dominum, Dominiūmque utile citius cum

35

cum directio consolideatur, quam si ad extraneos quos-  
cunque foret transmissibile. Verum dicta mea limi-  
tanda esse quam libentissime agnosco, si conjecturæ  
aliae, quæ pro extraneis militant, accedant, veluti si ap-  
paret, Dominum voluisse, ut ad extraneos beneficium  
esset transmissibile, sic enim ambabus concedo mani-  
bus, pactum ejusmodi ad extraneos, non autem fœmi-  
nas extendendum esse, ne alias unicâ voce duæ impro-  
prietas vel irregularitates inducantur, & pacium su-  
per una re. interpositum præter mentem pacientium  
ad aliam extendatur contra L. 31. Cod. de Tranfæct. Ex-  
emplum est si feudum concessum alicui pro se & herc-  
dibus suis, & quibus dederit. conf. II. F. 26. §. feudum  
ea lege. & II. F. 48. Tale enim pactum juri communis  
& naturæ feudi satis contrariatur, dum speciale hoc  
operatur, quod liceat feudum illud alienare sine con-  
sensu Domini, vid. II. F. 39. igitur secundum speciale  
operari non debet, quod teſſilicet & ad fœminam trans-  
ferri possit: duo enim specialia circa idem subiectum  
concurrere non debent l. 1. & ibi Gloss. fn. Cod. de  
Dot. promiss. conf. Math. de Afflict. in Cap. un. II. F.  
48. & in §. feudum ea lege. II. F. 26. Interim tamen  
ob diversas Doctorum opiniones æquè in hoc quam  
priori caſu suasor esse velim, ut contrahentes in literis  
investituræ, ad cuius tenorem velut ad Cynosuram  
semper respiciendum esse, paſſim Doctores tradunt,  
mentem suam verbis efferant clarissimis, sicutque omnis  
altercationis cauſa evitetur.

E 2

aut

aut consuetudine receptum; Quod enim bona feudalia gaudeant eo jure, ne foeminae succedant, hoc est à jure positivo, quare contrario statuto vel consuetudine mutari potest, juxta commune illud: *Jus speciale derogat generali: Stadt-recht bricht Land-recht/ Land-recht bricht Kaiserlich recht.* Eiusmodi consuetudinem in multis Regionibus, in Anglia, Sicilia, & Gallia esse probat *Göddeus* vol. 4. Rep. 37. n. 744. In Lotharingia foeminas feudorum capaces esse scribit *Bodin*. lib. 2. Simile jus vigere in Archi-Dioecesi Coloniensi testatur *Lüning* in Corp. Jur. Feud. Germ. tom. 1. pag. 1480. & seqq. adducens recessum transactionis Serenissimum Archi-Episcopum Maximilianum Henricum, felicis recordationis, inter & Status Archi-Dioecesis Coloniensis erectum. Sexum sequiorem quoque ad successionem Feudalem admitti in Ducatu nostro Westphaliæ, nec non in Comitatu Arnsbergensi testatur idem *Lüning*. all. loc. pag. 1472. & seqq. Sed vix adduci potero, ut hanc consuetudinem in Patria mea universaliter receptam esse, credam. In Episcopatu Monasteriensi filias, Vasallo sine filiis defuncto, succedere afferit *Rosenth.* c. 1. concl. 14. n. 31. quam tamen generalem totius Dioecesis Monasteriensis dicere non audet. De Instituto Abbatiz Fuldensis, in qua foeminas intuita feudorum simul cum masculis succedere spargitur, nisi feudum disertè zu mann-lehn gelichen / vid. *Coccej de Feud. Fuldens.* add. *Wehner*. verb. *Fuldisch Lehn*. Porro in feudis *Juliae*, *Cliviae*, & *Montium* foeminas succedere, filiis non extantibus, afferit *Erid. à Sande de Feud. Geldr. Tit. 3. c. 1. §. 1. n. 10.* & seq. item §. 7. imò & ipso Ducatus id generis feuda esse probare conatur

natur *Author Assert.* Brandenb. fund. 1. p. 1. seqq. Cui tamen asserto constanter strenueque contradicuum est à Saxonis, conf. Franzk. lib. 3. Resol. 11. Et nescio, an non feliciori adhuc successu pro Palatino Neoburgico masculina esse feuda propugnaverit in consilio Merckelbach apud Klock. 1. cons. 7. Præterea plura alia adhuc loca allegant DD. de quibus attestari non dubitant; Jus commune Longobardicum hoc passu per contraria statuta & consuetudines inibi esse abrogatum: Verum an Doctoribus de consuetudine & observantia tam liberaliter attestantibus simpliciter ita fides sit adhibenda, meritò dubitamus, memores illius: quod Doctores de aliis, quam in quibus versati sunt, locis testimonium dicentes nullam planè mereantur fidem. Klock. tom. 2. cons. 10. n. 78. & seq. & cons. 15. n. 41. & seq. Quin licet Doctores attestentur de locis, in quibus versantur, quam cautè nihilominus testimoniosis istis sit utendum, nisi consuetudo probetur specialis, ex iis liquet, quæ in all. *Dissert.* differit laudat. *Coccej. cap. 1. §. 6.* conf. quoque *Lauterb. Coll. Theor. Pract. lib. 1. Tit. 2. Thes. 42.* *Struv. ad ff. Exerc. 2. Th. 21.* *Mascard. de probat. Vol. 1. concl. 425. num. 13.* Unde in locis, in quibus versamur, non tam ad testimonia Doctorum, quam ad ea, quæ in ipsis rerum obtinent argumentis, nobis attendendum esse judico. Planè si verè adsit in loco quodam ejusmodi consuetudo aut statutum, foeminas ad successionem in feudis admittens, prout ea in quibusdam Provinceis dari certum est, meritò secundum illa ius est dicendum. *Horn. Jurispr. Feud. c. 15. §. 7.* Hujus autem generis feuda certo respectu in proprietorum quoque censu numerari posse autumo; quandoquidem

scilicet hæc talia dicuntur, quæ secundum consuetas juris, etiam Provincialis regulas comparata sunt. Unde etiam si quis ibi feudum informiter & simpliciter acceperit, & in investitura instrumento fœminarum successio-  
nis, nulla fiat mentio, tamen illud ex consuetudine aut statuto hanc interpretationem sorcitur, ut propterea fœmina non excludantur. Rosenth. c. 1. concl. 13. n. 2.

Deinde et si in ejusmodi Provincia feudum alicui con-  
cessum pro se & heredibus feudalibus, sexum sequiorem  
tamen in eo admittendum esse, judico cum laudat. Ro-  
senth. c. 7. concl. 38. n. 10. Siquidem vi statuti seu ob-  
servantia illius Provinciarum fœmina inter heredes feudales  
sunt numeranda, cui ante omnia contrahentes se se con-  
formasse intelligendi sunt.

§. XXXVII. Perlustratis etiam fallentiis, &  
exceptionibus à nostra supra §. 9. stabilita regula; or-  
dinis ratio postulat, ut nunc de modo, quo fœmina  
in feudis succedunt, quædam annotemus. Observa  
proinde: sexum sequiorem in omnibus dictis casibus  
regulariter ad successionem non vocari, nisi masculis  
demum deficientibus. I. F. 6. §. 1. I. F. 8. §. fin. II. F.  
17. 18. 30. & 50. Rosenth. c. 7. concl. 39. num. 4. Vultej.  
lib. 1. cap. 9. num. 66. Ludv. de success. feud. c. 6. p. m.  
272. & DD. communiter. Saltem in feudo fœmineo,  
à fœmina primum acquisito, subsidiariam fœminarum  
successionem locum habere, perspicue satis constat ex  
text. II. F. 30. Prout idem obtinere in feudis illis, in  
quibus mulieres ex speciali pacto succedunt, quoque  
dubio caret. conf. I. F. 6. §. 1. & I. F. 8. §. fin. add. II.  
F. 104. §. 7. Consule quoque, si lobet, Rosenth.  
all. loc. concl. 40. num. 5. & seqq. Porro nec aliter, quam

in defectum masculorum ex primo acquirente, foemini in feudis, quorum ex statuto vel consuetudine capaces, succedendi locum patere, probatur ex generali regula, qua habetur. *I. F. 17. Curt. Jan. de Feud. Part. 3. princ. num. 10.* & 18. nam verba statuti, consuetudinis intelligenda sunt secundum ordinem juris communis, & ut quam minimum ab eo recedatur. *Bald. in L. Libert. num. 21. de oper. libert. Rosenth. cit. loc. num. 7. & seqq.*

§. XXXVIII. Hoc autem Juris Theorema, quod foemina feuderum capax, masculis extantibus, non possit in iis succedere, procedere declaro Primo, licet feendum datum sit sub clausula: ut masculi & foeminae, filii & filiae ad successionem admittantur. *I. F. 6. §. 1. & I. F. 8. § fin. Rosenth. c. 7. concl. 40. n. 5. & 6. vel ita: ut foeminæ cum masculis succedant. arg. l. 36. §. 2. ff. deleg. I. l. 40. ff. de Uſu & Uſufr. lég. Ludv. de ſucceſſ. feud. c. 6. p. m. 27. Carpz. Disput. 5. th. 36. quamvis diſſentiat Rosenth. c. 7. concl. 41. num. 4. Idem ſecundò dicendum: si pro heredibus utriusque ſexū confeſſum beneficium; majoris enim verba iſta: *Utriusque ſexū*, non poſſunt eſſe efficaciaz, quam illa: *pro masculis & foeminae*. *Vultej. lib. 1. c. 9. n. 71. Rosenth. c. 7. concl. 40. num. 14.* Neque tertio hunc ordinem ſuccedendi jure, feudali receptum immutat, eti feendum ita datum ſit; ut tam filii quam filiae ſuccedant; daß so wohl die Söhne als die Töchter/ x. nicht allein die Söhne sondern auch die Töchter/ x. nam verba hanc: tam, quam, ſenſum copulativum haſtent, ita ut idem, ac fi dictum: filii ac filiae. meine Söhne und Töchter. vid. *Befold. Thes. verb. so wohl w. Menoch. cons. 293. num. 2.* in 2d ver-*

versantium castra iterum descendit Rosenth. c. 7. concl. 40. in fin. Dicta hæc quartò tam vera esse existimamus, ut etiam si feudum pro se & heredibus quibuscumque acceptum sit, conf. suprà §. 35. tamen ne sic quidem admittantur foeminae, nisi cum nulli superstites sint masculi. Vultej. cit. loc. num. 74. conf. Horn. Jurispr. feud. c. 15. §. 6. Denique quintò antefatum theorema obtinere sustineo, licet foemina gradu sit proximior, aut jam semel aut aliquoties feudum ad sequiorem sexum transierit. II. F. 51. §. similiter. Ludv. cit. loc. pag. m. 275. & Feudistæ communiter teste Bocer. de success. feud. cap. 3. qu. 11.

§. XXXIX. Utì verò sàpe dictum axioma verissimum habetur, ità interdum ab illo receditur, & sequi sequiori idem planè competit jus in succendo & què ac masculis. Tale quid contingit (a) si pacto expressè actum appareat, ut filia simul cum masculis, vel sicut masculi; & què ac filii succedant dñs die Ædæter nebst den Söhnen/ oder mit denen Söhnen zugleich / oder wie die Söhne succediren sollen. conf. II. F. 104. §. 7. Hartm. Pistor. l. 2. qu. 35. n. 29. Rosenth. c. 7. concl. 41. num. 1. 2. & 3. Consule quoque Ludv. cit. loc. p. 278. Limita autem hanc exceptionem: modò concedens ità pacisciendi habuerit potestatem. Sic Prælatus feudum pro masculis dari solitus, ut in foeminas transeat, non concedit. Rosenth. c. 4. concl. 37. num. 2. & c. 7. concl. 41. num. 36. & Canonistæ communiter in Cap. 2. X. de Feudis. Pariter (b) si feudum ità datum: Vor sich und alle seine Erben/ und Erbnehmen ohne Unterscheid/ tunc foeminas quoque simul cum masculis admittendas esse, sustinet Horn. in Jurispr. feud. cap. 4. §. 38.

Fal-

Fallit (d) axioma illud, si vel statuto cautum, aut consuetudine receptum sit, ut filiae una cum masculis succedant, sic enim sexus sequior simultanea gaudet cum masculis successione. arg. II. F. 23. Rosenth. c. 7. concl. 41. num. 9. & 10. Alia (e) habetur exceptio II. F. 18. vid. Ludv. cit. loc. p. m. 277. Porro (f) in feudo franco, censuali &c. foeminas unam cum masculis admittendas esse, post Hartm. Pist. l. 2. qu. 34. n. 33. & seqq. statuit Horn. in Diffr. de Feudo franco §. 26. & in Jurispr. Feud. c. 15. §. 6. Sed quid de illis feudis sentimus, jam suprà §. 18. mentem nostram pluribus explicavimus: ceterum accedimus hic opinioni illi, quam habet sepe lautat. Rosenth. c. 7. concl. 41. n. 12.

§. XL. Pertinent huc quoque tres aliae perquam celebres & inter Dd. valde controversæ Quæstiones; quarum prima est: Si feudum pro masculis & foeminis concessum, atque in prima linea, ad quam feudum devolutum, foemina tantum superstes, utrum hæc foemina excludat masculum in secunda linea? Affirmativam tenuerunt Peregrin. de fideicom. art. 27. n. 14. Stryk. in Exam. Jur. Feud. c. 15. q. 7. quam sententiam admitto in illis feudis, ubi jus primogenitura cognaticum introductum, cum Horn. in Jurispr. Feud. c. 15. §. 8. de cætero autem negativam analogia Juris feudalism magis convenire, adeoque & in hoc casu masculum in secunda linea foemina in prima tantum linea superstiti præferendum esse, sum persuasus cum Carpzov. p. 2. c. 28. def. 13. n. 10. & Horn. cit. loc. per regulam, quæ habetur II. F. 17. ibi; non enim patet locus foeminae in feudi successione, donec masculus superstes ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit investitus. quæ regula generalior est,

F

quam

quām ut à contrariæ sententiæ Patronis īe ad casum specialem restringi patiatur. Nec obstat II. F. 50. ubi dicitur : quod ad omnes qui in illa linea sunt, devolvi debeat successio. item : quod omnibus ex hac linea deficiētibus demum aliæ linea succedant. Nam verba illa exaudienda sunt de heredibus feudalibus scilicet masculis. Struv c. 9. aph. 3. & 9. Horn. cit. loc.

§. XLI. Secunda exoritur controversia : An fœmina, cūm masculus non adsit, ad successionem feudi fœmel admissa, postea nato ex alia fœmina cognata masculo id restituere teneatur? Negantium opinio, uti communior, fatente ipso Jacob. de S. Georgio, licet contrariam, in secreto juris, ut loquitur, veriorem putat, ita & verior mihi videtur : cūm tempus successionis spectandum sit, II. F. 17. II. F. 51. §. similiter. quo cūm non adfuerit masculus, feudum fœminæ rite est delatum, & ab ea perfectè acquisitum, jus autem fœmel legitimè quæsitum ex postfacto auferri non debeat. arg. l. 11. ff. de R. I. Hartm. Pistor. l. 2. q. 35. n. 8. & seqq. Rosenth c. 7. concl. 41. n. 26. & seqq. Ludw. in Synops. p. 195. & de success. feud. c. 6. p. m. 280. & seqq. Horn. c. 15. §. 9. non obst. II. F. 17. utpote qui textus de feudo saltem acquirendo, non autem de jam acquisito intelligendus. Ludw. cit. l. Sententia autem nostra procedit, licet fœmina, quæ in feudo successit, ante nativitatem istius masculi nondum fuerit investita, illa enim investitura non tribuit fœminæ plus juris, quām habet, cūm sit tantum recognitio beneficii per successionem jam antè acquisiti. conf. Ludw. cit. l. Interim si masculum postea natum tempore devolutionis utero materno conceptum jam fuisse probetur, fœminam per masculu-

masculum istum excludi, facile largior ob l. 7. & l. pen.  
ff. de statu homin. Struv. c. 9. aph. 8. n. 8. prout nec  
nego, fœminā defunctā, beneficium ad masculum il-  
lum pertinere, ut adsint filia ex fœmina, cum in feu-  
do acquirendo fœmina semper per masculum exclu-  
datur. II. F. 17. Rosenth. c. 7. concl. 41. in not. lit. P.  
Aliud est, si fœmina, qua ad feudum admissa, filios re-  
linquat : hi enim masculis ex alia fœmina cognata  
natis tanquam remotioribus utique sunt præponendi.  
arg. II. F. 17. Rosenth. cit. l. n. 27.

§. XLII. Tertia non minus ardua quam fa-  
mosa est quæstio; utrum fœmina per existentiam ma-  
sculi semel exclusa perpetuò exclusa maneat? Affirma-  
tiva sollicit: fœminam perpetuò excludendam esse pla-  
cuit Doctribus communiter, in quorum castra de-  
scendunt Gail. l. 2. obs. 148. n. 1. Rosenth. c. 7. concl.  
44. Carpz. Disp. Feud. s. 1b. 57. Negativam propu-  
gnant Vultej. l. 1. c. 9. n. 89. & seqq. Hartm. Pistor. l.  
2. q. 36. n. 11. & seqq. Ludw. de success. feud. c. 6. pag.  
285. Carpz. p. 3. const. 28. def. 15. Struv. c. 9. aph. 8.  
n. 6. Horn. c. 15. §. 9. & cum illis plerique Recentiores.  
Quorum sententiam & nos veriorem esse putamus,  
insistentes regulæ à jure feudali simpliciter ac indistin-  
ctè traditæ: quod deficientibus masculis succedant fœmi-  
nae. I. F. 8. §. 2. Conf. præprimis II. F. 17. ibi: non e-  
nimi locus patet fœmina in feudi successione, donec ma-  
sculus superest ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit in-  
vestitus, & paulò post: miles non debet feudum suum  
per fœminam recognoscere, donec superest masculus ex  
eo, qui primam investituram fecit. ex quibus verbis,  
cum sint indefinitè prolata, necessariò hæc fluit conse-

quentia: ergo si masculus non amplius superest, fœmina admitti debet. Existentia enim masculi est impedimentum, quominus succedat fœmina, quo quocunque etiam sublato, ut & fœminæ successio deferratur, necessum est, vid. Ludw. alleg. loc. accedit, quod nostra sententia intentioni & voluntati primorum contrahentium sit omnino consentanea. adeoque hæc alteri præferend. arg. l. 96. ff. de R. J. Nam non est credendum, Dominum & primum acquirentem pacto illo: pro masculis & fœminis: in unicum saltem casum fœminis prospexisse, si nempe in prima successione masculi non adsint, potius præsumendum, quocunque tempore illas admittere voluisse in subsidium, & saltem postponere masculis. Sanè hæc legalis interpretatio nisi admitteretur, adjectio fœminarum contra intentionem contrahentium otiosa planè & frustranea eset.

§. XLIII. Dissidentes maximè moventur textu, ut ajunt, expresso l. F. 6. §. 1. verb.: *reliquo masculo ulterius fœminæ non admittuntur*. Ast respondemus, tantum abesse, ut textus ille nobis aduersetur, ut nostram potius sententiam clare confirmet. Siquidem & nos statuimus fœminas, existente masculo, ulterius non admitti, id est *ultra masculum, juxta masculum, præter, vel simul unâ &c. proinde solum ibi disponitur, sexum sequiorem extantibus masculis à prælenti & simultanea successione esse exclusum*: de successione vero futura five successiva, ubi masculus amplius non adest, nihil planè decidit. l. F. 3. §. 2. Struv. cit. l. n. 7. Neque hanc responzionem infringit §. final. text. l. F. 6. ibi: *ex his omnibus casibus feudum admittitur, & ad Dominum revertitur*. Hæc enim verba ad

ba ad *Sphum inum* nullatenus referri possunt, per ea quæ jam dicta sunt, sed ad *Sphum edum*, cui subjuncta, ibique propositam materiam de mutis restringi debent. conf. *Struv. cit. l.* Ut taceam *Sphum* hunc cum Rubrica hujus Tituli parùm congruere, adeòque alieno loco collocatum videri; propterea licet & concederemus, *Sphum* hunc nobis obstare, sententia tamen nostra exinde non infirmabitur, utpote quæ tam cæteris Juris Feudalis textibus, quam ipsi Juris Feudalis analogæ est convenientior. Et huic sententia ipsam praxin adstipulari, testatur celeerrimus *Horn. in Jurißr. Feud. c. 15. §. 9.* conf. etiam *Iter. de Feud. Imper. c. 14. §. 20.* quibus ita prolixè disputatis:

§. XLIV. Generaliter nunc notandum est, *Primo.* Quotiescunque foemini carumve descendantibus conceditur locus succedendi in feudo, requiri, ut sint legitimè natæ, illegitimè enim nati liberi & quicunque inde provenerint, in feudis planè non succedunt. *H. F. 26. §. naturales.* *Horn. c. 15. §. 3.* quod in tantum verum esse putamus, ut nequidem in feudo foemineo à foemina primùm acquisito succedant. *Isernias ad dict.* *§. naturales.* *Hartm. Pif. P. 2. qu. 40. num. 2.* *Ludvv. de succff. feud. c. 2. p. m. 162.* licet enim jure civili liberi naturales ad successionem matris admittantur. *l. 2. §. ff. und cognati. l. 5. Cod. ad SC. Orphit.* videtur tamen Jus feudale legitimam nativitatem requirere, in quo-cunque feudo succedatur, *d. §. naturales.* ita ut strictè inhærendo sape citato textui, nec liberi per subsequens matrimonium legitimati successionis feudalis capaces sint: textus enim de naturalibus in genere loquitur,

neque fictioni Juris civilis atque canonici in Jure Feudali est locus; jura enim illa extra suæ activitatis sphæram operari nequeunt. *Ludv. de success. feud.* c. 2. p. m. 166. *Horn. c. 15. § 3.* Sed quidquid sit, conitans & perpetua praxis est in Germania, quod legitimati per subsequens matrimonium etiam ad feuda admittantur, et si feudum sit acceptum, vor sich und seine Ehliche gebohrne/ männliche leibliche Lehns Erben / attestantibus idipsum, *Lauterbach. in Coll. theor. Praet. lib. 1. Tit. 6. §. 28.* & *de success. civil. ab intestato* §. 15. *Stryk. de success. ab intest. Diff. 1. c. 3. §. 27.* & ipso *Horn. cit. loc.* que praxis quoque observatur in ipsis Imperii feudis majoribus. *Rosenth. c. 6. concl. 18. n. 10.* *Itter. de Feud. Imp. c. 14. §. 2.* *Myler. in Gamologia Princip.*

*§. XLV.* Observandum secundò fœminas, tametsi servitia feudalia præstare nequeant, *II. F. 36.* non tamen propterea, ubi in feudis succeedunt, ab illis fore immunes, etenim obligatio ad servitia, & quidem indeterminata, ad naturalia feudi pertinet, ita ut ea debantur, et si nulla in investitura eorum facta mentio. *II. F. 23. in fin.* hinc servitia, quæ ipse expedire nequeunt, ut per aliam Domino acceptabilem personam, sive substitutum, eum Lehnu, Träger exhibeant, necessum est. *II. F. 55. §. firmiter.* *Rosenth. c. 8. concl 4. n. 16.* *Ludv. in synops. p. 114.* aut si Domino ita visum, justa satisfactione servitium redimere seu hostendititia præstare tenentur. *all. text. Horn. c. 18. §. 8.* Sic autem à fœmina substitutus Procurator feudalis fidem mulieris in se recipit, juratque fidelitatem Domino, vel in suam, quod in Saxonie potissimum fieri assolet, vel in animam mulie-

mulieris, vel utriusque: licet plenissimè consultum videatur esse Domino, si in utriusque tam propriam quam fœminæ animam provasallus jurabit. *Horn. c. 13. §. 10.*

§. XLVI. Tertiò notabis, quod sexui sequiori æquè ac masculis renovationis investitura debito tempore petendæ incumbat necessitas, non solum si Dominus mutatus, sed & si fœmina mortua, & fœmina alia sucedat. *II. F. 24. II. F. 55. pr. in fin.* Renovatio namque investitura est de naturalibus feudi, ut *DD. communiter in pr. II. F. 3.* Si igitur fœminæ renovationem investitura petere neglexerint, poena omissæ renovationis investitura locum habet, à qua nullibi excipiuntur fœminæ. *Ludv. de Renov. Inveft. p. m. 324.* Et cum servitia feudalia non in persona sed per procuratorem feudalem expediant, mortuo quoque hoc provasallo à fœmina constituto, alium debito tempore sub poena privationis Domino offerre tenentur, ut feudi Dominus nempe sciat, an & quemnam habeat vasallum sive fidelem; omnesque rationes, quæ volunt, ut mutato vero vasallo feudum renovetur, etiam tum locum habent, si ejusmodi quasi vasallus decedat. *Befold. P. 2. conf. 39. qu. 1. num. 15. 16. Struv. Observat. circa feud. hereditar. 35.* Præterea cum in terris Saxonicius jus succedendi in feudis unicè ferè ab imperata simultanea investitura dependeat, ita ut hæc investitura simultanea simul unà cum possessoriis investitura, hocce vel Domino mutato, renovanda sit, itaque & fœminæ ibi, possessore vel Domino feudi defuncto, ad investitaram renovandam sunt obligatae, licet in subsidium demum deficientibus masculis habeant spem successionis. *Horn. Jurispr. feud. c. 17. §. 5.*

Atque

Atque hæc sunt L. B. quæ per modum Speci-  
minis *Inauguralis* pro virium nostrarum modulo de  
Successione fœminarum in feudis afferre nobis in me-  
dium licuit; minùs rectè aut erroneè dicta Tua cor-  
riget humanitas, favor, atque benevolentia; cui nos  
eo, quo par est, cultu ac observantia com-  
mendamus.

## T A N T U M.



THE-

## THESES EX VARIO JURE.

### I.

Imperator solus cognoscit super controversiis Feudorum Imperii Regalium, exclusa Camerā.

### II.

Principes aliisque Status Imperii testamenta con-ficientes solennitates à Jure communi præscriptas debent observare.

### III.

Legitima liberis & parentibus ex jure naturæ non debetur.

### IV.

Pupillus finè Tutore contrahens nec civiliter nec naturaliter obligatur.

### V.

Tutela testamentaria in Electoratu prævalet Legitimæ.

### VI.

Legitimus per sublequens matrimonium et iam post intermedias nuptias pro primogenito habendus.

### G

### VII.

50

VII.

De jure verius est, Remedium ex *Canone Redintegranda Caus. 3. qu. 1.* non dari contra b.f. possessorum.

VIII.

Fratum liberi soli , non existentibus defuncti  
Fratribus Germanis , cum aescendentibus non suc-  
cedunt.

IX.

Nomine Filiorum in *L. 5. §. 1. Cod. ad L. Jul. Maj.*  
non comprehenduntur nepotes.

X.

Tertium furtum juxta Constit. Carol. simpliciter  
est capitale , licet omnia tria quantitate in magnam  
non contineant.

XI.

Textum in Jure Feudali *Il. F. 28. infin.* irrationa-  
bilem esse judico , cum *Hornio in Jurispr. Feud. cap. 18.*  
*§. 14.*

XII.

Non datur actio pignoratitia adversus tertium  
possessorem etiam de jure Canonico.


F I N I S.



Marburg, Drss., 1731-35

ULB Halle  
005 359 929

3





F.5. num. 36.

9  
1732, 5.

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS JVRIDICA  
DE  
**SVCCES<sup>S</sup>SIONE  
FOEMINARVM  
IN FEVDIS,**

QVAM,  
DEO PRAESIDE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIP<sup>E</sup> AC DOMINO  
**D. N. FRIDERICO,**  
HASSIAE LANDGRAVIO, &c. &c.  
EX DECRETO ET AVTHORITATE  
AMPLISSIMI JVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBVRGensi,  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI,  
PVBlico ET SOLENNI ACADEMiae PROCERVM  
EXAMINI  
DIE XXIII, MENSIS DECEMBRIS c<sup>o</sup> 10 cc XXXII,  
SUBMITTIT

**FRANCISCVS ANTONIVS  
THEODORVS PAPE,**  
WARSTENA - WESTPHALVS.

MARBVRGI CATTORVM,  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

KÖNIGFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

